

unum frx. pro qualibet marcha, iusta valorem bonorum sive rerum mobilium et immobilium, et de nota sive publicatione cuiuslibet sententie unum frx. ¶ Et non recipere aliquod premium vel solutionem pro aliqua scriptura quam fecerint in
 5 eorum officio ad comodum et petitionem comunis ullo modo vel ingenio; et hoc intelligatur de quolibet alio notario habente offitium de quo percipiat salarium de camera comunis; nec eis per dominium fiat solutio de predictis, excepto de terminis et scripturis factis in questionibus civilibus ventilantibus in
 10 iuditio. ¶ Item facere et complere bona fide omnes rationes et facta et instrumenta comunis infra decem dies postquam ceperint,¹⁾ et scribere et noctare in uno quaterno ad hoc deputato omnes prepositas²⁾ que per dominium Tergesti ponentur, et tam in minori quam in maiori consilio, antequam in
 15 dicto consilio publicentur, et legere in dictis consiliis ipsas prepositas, et ipsis lectis tunc per dominium preponantur in dictis consiliis; et scribere teneatur consilia cuiuslibet arengatoris arengata(s) super dictis prepositis, et antequam fiant partita super ipsis legere in dictis consiliis dicta cuiuslibet
 20 arengatoris per se, etiam sub pena viginti sold. par. ¶ Et scribere in utroque volumine statutorum omnes additiones statutorum et omnia statuta facta de novo tempore offitii eorum infra unum mensem post eorum exitum, et scribere omnes reformationes maioris consilii que fient et reformationes in maiori consilio in libro reformationum, et eas legere in sequenti consilio
 25 quod fiet. ¶ Et scribere diem adventus potestatis vel vicarii loco potestatis et iuramentum ipsius, etiam sub pena centum sold. par. pro quolibet cancelario. ¶ Et scribere omnes offitiales in libro comunis ad hoc deputato infra octo dies, etiam pena centum sold. par. ¶ Et denunciare iudicibus comunis quandocun-
 30 que fient offitiales quis ex officialibus // electus esse non possit, 25 A etiam sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet cancelario. ¶ Et omnes litteras que transmitterentur per comune Tergesti antequam mittantur regrestare in libro comunis ad hoc depu-

¹⁾ Forse manca *scribere*, che c'è in questo comma degli Statuti del 1318.

²⁾ Il testo è confuso e ricorretto: da *preponilos* scritto originariamente.